



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Prosa Exegesis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

## PROSA EXEGESIS.

TANDEM aliquando post longam fluctuantis animi iactationem inter tot procellas ac turbines vanitatum, inter tot labores ac vitæ pericula, rebus omnibus humanis frustra exploratis, nec vsquam animi quiete inuentâ; tandem, inquam, veræ solidæque beatitudinis portum occupat Ecclesiastes, & ad eundem nos his verbis inuitat: *Deum time, & mandata eius obserua. Hoc est enim omnis homo.* In hoc portu nisi anchoram defixeris, peristi. In terrâ viæ omnes latrociniis infestæ sunt, mare naufragiis infame; res humanae fragiles, erroribus obnoxius intellectus, voluntas cupiditate deprauata, spes fallaces, inanes cogitationes, incertæ prouidentiae nostræ: sola in Deo salus. Hunc si eo timoris & amoris affectu profecuti fuerimus, quo filius patrem; si câ submissione animi venerati fuerimus, quâ seruus dominum; si denique non mandatis solum, sed nutibus eius obsecuti fuerimus, vt figmentum figulo; salua nobis sunt omnia. Deo duce & auspice tuti erimus ab huius vitæ periculis, immunes à naufragiis.

Solent viatores, ait Epictetus, si viam latrociniis audierint infestari, non soli iter ingredi, sed vel comites operiri, vel Legato, Quæstori, Proconsuli se socios adiungere. Haud dissimile quid facit sapiens, inquit, in hoc mundo. Multa latrocinia sunt, tyranni, tempestatres, egestas, iactura charissimorum. Quo pacto hanc vitam transibis incolumis? quis comitatus tutum te reddet? An diuitis illius, aut Consularis? At ipse spoliabitur, plorabit, lugebit. Quem igitur fructum inde capiam? Quid verò si comes ille meus in me conuersus latro fiat, quid faciam? At amicus ero Cæsari.

Nnnn 2

Quan-

Extra Deū  
non est salus.

Epictetus  
l. 3. Dissert.  
Artian.  
c. 26.  
Deo duce  
vitâ securè  
transimus.

Quando istud erit? & quid non ibi plenum periculi?  
& per quot pericula peruenitur ad maius periculum?  
Quid si deinde calumniis impetitus ex aulâ pulsus fue-  
ris, quò tandem recedes? An in solitudinem? dic so-  
des, eò febris non venit, aut egestas, aut cupiditas? Quid  
ergo profeceris? Nullumne ergo comitem inueniam  
fidelem, securum, insidiarum expertem? Imò verò sic  
prudens secum considerat, & hanc inquit rationem, si  
Deo se dederit, iter se tutò confecturum. Quid est hoc  
ipsum, dedere se Deo? vt quod ille voluerit, & ipse ve-  
lit; & quod ille noluerit, nec ipse velit.

*Quid sit  
tradere se  
Deo.*

Quod alibi latiùs exponit idem ille sublimis senex,  
dum monet ita cum Deo loquendum: Vtere me vbi  
lubet, & vt lubet; mente tecum consensio. Nihil recuso  
omnium, quæ tibi videbuntur. Quocumque me voles,  
ducito: quam vestem lubet, induito. Magistratum me  
gerere vis? priuatam agere vitam? manere? exulare? in  
egestate, in opibus degere? Ego te in his rebus omnibus  
apud homines defendam. Hoc est reuerà Deo obtem-  
perare, & hic potissimus cultus quem à nobis exigit.

Aut si latiùs hoc nomen diuini cultûs & obsequij su-  
mere volumus, Optimus animus, pulcherrimus Dei cul-  
tus est. Nam, vt rectè ait Lactantius, Christianorum  
omnis religio est, sine scelere & sine maculâ viuere.  
Quod ne Ethnici quidem ignorarunt ita decere. satis  
enim disertè Cicero, Dei cultus optimus est, inquit,  
idemque castissimus & sanctissimus, plenissimisque  
pietatis, vt eum semper purâ, integrâ, incorruptâ & men-  
te & voce veneremur. Neque enim in victimis, inquit  
Seneca, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum  
est honos, sed piâ ac rectâ voluntate venerantium. Ita-  
que boni, etiam farre ac fitillâ religiosi sunt; mali verò  
non

*Lactantius  
lib. 4. c. 9.  
Mens pia  
& inma-  
culata, opti-  
mus Dei  
cultus.  
Cic. lib. 2.  
de Naturâ  
deor. c. 18.*

*Senec. lib. 1.  
de Benefic.  
c. 6.*



*Vana homi-  
nū occupa-  
tiones neg-  
lecto Deo.*

*Seneca de  
Tranquill.  
anim. c. 12.*

*Seneca de  
Brevit. vi-  
tæ, c. 7.*

*Ea potissi-  
mū homini  
curanda  
qua homi-  
nis sunt.*

*Alphonf.  
Rodr. Ex-  
ercit. perf.  
p. 1. Tra. 1.  
c. 1.*

nia fora peruagari, omnes callere nundinas, versare Ka-  
lendarium, computare scenus; de Deo aut æternâ salu-  
te nulla cogitatio: alij merces exoticas aut castra se-  
cūti, terras omnes ac maria peruagantur; & cūm vo-  
luntario sese exilio proscriserint, non magis à patriâ  
quàm à seipsis exulant, nec Dei memores, nec sui. Alio-  
rum inconsultus vanusque cursus est, qualis formicis  
per arbuta repentibus, quæ in summum cacumen, de-  
inde in imum inanes aguntur. Quorundam quasi ad  
incendium currentium misereberis, vsque eò impel-  
lunt obuios, & se aliosque præcipitant: cūm interim  
cucurrerint aut salutaturi aliquem non resalutaturum,  
aut lecticam alicuius profecuturi, deinde domum cum  
vacuâ redeuntēs lassitudine, iurant nescisse seipsos  
quare exierint, postero die erraturi per eadem illa ve-  
stigia. Alij in infimis ministeriis desudantes, & instat  
formicarum maiora corpusculis onera baiulantes, dum  
interim diuinum cultum in postremis habent, opero-  
sè nihil agunt. vix enim ab illis impetres, vt semel  
quaque hebdomade dimidiam horam diuinis myste-  
riis impendant. Denique ex iis quos magna felicitas  
grauat, audias nonnullos inter clientium greges, aut  
causarum actiones, aut ceteras honestas miseras exclamare:  
Mihi viuere non licet.

Et hi plerumque homines frugi, rerumque suarum  
benè gerentes appellantur. ego verò ne homines qui-  
dem dicendos esse contendo, quibus nihil minus cordi  
sit, quàm quod est hominis.

Cūm D. Dorotheus aliquando cubiculum infirmo-  
rum visitaret, cuius cura discipulo eius Dositheo in-  
cumbat, sensit hic titillationem quamdam vanæ  
gloriæ, eamque Magistro confessus, Videor mihi, in-  
quit,

quit, operam meam egregiè tibi probasse. Vides vt lecti decenter compositi sint? instrumentum omne mundum ac splendidum? Respondit Dorotheus: Quid hæc ad summam vocationis tuæ? Bonus quidem famulus es, sed non continuò bonus Religiosus. Ita plerique eorum quos modò tetigi, id assequuntur fortassis, vt boni sint opifices, boni mercatores, boni causidici; sed non idcirco id adepti sunt quod est homini proprium, vt viri boni sint.

Id in homine laudandum est, ait Seneca, quod ip-  
Seneca E-  
pist 41.  
 sius est. Familiam formosam habet, & domum pulchram? multum ferit, multum scenerat? nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso quod proprium est hominis. Quæris quid sit? Animus & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo: consummatur itaque eius bonum, si id adimpleuit, cui nascitur. Quid est autem quod ab illo ratio exigit? Rem facillimam, secundum naturam viuere, id est, vt non tantum Christiani, sed præcipui quique Philosophorum, teste Clemente Alexandrino, interpretantur, Deo obtemperare, Deum sequi, Deo assimilari. *Hoc est enim omnis homo.*

Alter sensus quem ex his verbis elicio, hic est: Ita prorsus expedit homini. Quid enim honestius mortali potest excogitari? quid conducibilius? quid suauius? quam immortalis Deo obsequium cultumque præstare? Scio paradoxum hoc esse iis qui nihil sublime cogitant, sed toti aut rerum fluxarum curis, aut voluptatum cæno immerfi, contemnunt piorum gemitus, labores auersantur, vltronea supplicia Dei amore suscepta cachinnis exhibent: ignari scilicet quanta merces piis illis laboribus & suppliciis sit constituta;

Vide Lips  
in M nu-  
duct. lib. 2.  
Diff. 19.

Vulgus pio-  
rum vitam  
contemnat.

August. in  
Psal. 127.

tuta; nec unquam experti, quod ait D. Augustinus, dulciores esse lacrymas orantium, quam gaudia theatrorum.

Idē Conc.  
2. in Pl. 48.  
Felicitas  
eorum qui  
Deum co-  
lunt.

Quare idem Augustinus alio loco superbum illorum contemptum generosè contemnit. Tumeant modo superbi, inquit, & diuites huius sæculi, impij bonis insultent, & dicant: Quid plus habetis quia Christum habetis? Respondeant fideles, si verè fideles sunt: Immò verò quid non habemus dum Christum habemus? Quid enim non possidet, qui habentem omnia possidet? Sed nox est, nondum videtur quod tenemus. Non quiescant interim manus à bonis operibus. Dicit enim Propheta: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.*

Psal. 76, 3.

Vide Cam-  
pian. Epist.  
ad Nouit.  
Brun. ences.

Habet enim diuini obsequij professio nescio quid eximium, nullis mundi bonis ac gaudijs conferendum. Habent virtutes omnes, quibus Deo cultum exhibemus, suam quamdam dignitatem, sed fastuosis hominibus inaccessam; suas quasdam diuitias, sed avaris nimisquam reconditas; suas quasdam delicias, sed profano palato incompetas. Sed qui Deo se totos tradiderunt, norunt reconditos hos thesauros eruere. Sciunt enim, quanta sit in obedientiâ libertas, quanta iucunditas in labore, quanta in oratione delicia, quanta in humilitate dignitas, quanta in conflictatione pax, quanta nobilitas in patientiâ, quanta in infirmitate perfectio.

Itaque vnum illorum suspirium, quo cælum anhelant, præstat effusissimis theatrorum clamoribus, quibus profani delectantur; vna spiritualis collocutio,  
cui

cui interfunt Angeli, superat istorum congressiones, & impura symposia, in quibus pocula propinant dæmones; vna diecula Deo consecrata dignior est istorum ætate vniuersâ, quam profundunt in luxu.

Quid plura? Si dignitatem spectamus, maximum & pulcherrimum hominis munus est Deo ministrare, ait Aristides. & Philo, Seruire Deo, inquit, maxima est gloria, non modò libertate maior, sed etiam diuitiis, & Principatu, & omnibus rebus, quas mortales admirantur, pretiosior. Si lucra consecramur, ab hoc diuino obsequio merces pendet æternæ beatitatis. Si voluptate pascimur, quid amore diuino potest esse iucundius? Quid suauius, quàm cælestem illum beatarum mentium concentum in terris æmulari, Dei quæ laudes quàm frequentissimè modulari?

*Deo seruire, res maxima est. Aristides Orat. pro iv. viris. Philo lib. de Chetibim.*

Hoc ego quidem munere libenter omnium vice fungar, ait Epictetus. quid enim aliud præstare possum iam senex & claudus? Etenim si lusciniæ essem, facerem quod solent lusciniæ; si cygnus, cygni more canerem: nunc rationis particeps cum sim, hymno celebrandus est mihi Deus. hoc meum munus est, hoc exequor; neque stationem hanc deferam quoad licuerit, & vos ad eandem cantilenam hanc exhortabor. Ita Philosophus ille qualicumque Dei cognitione tinctus.

*Epict. l. 1. Diff. c. 16.*

Nos autem Christiani quo tandem animo erimus? nos, inquam, sanctissimis legibus & præceptis ad omnem pietatem & religionem instituti, non libentissimè diuino cultui & encomiis vacabimus? En admirabilis ille senex non animo minùs quàm corpore claudus, generosè tamen ad hanc pietatem nobis præiuit: & nos, quia talis præiuit, pudet sequi? Ego verò sequor,

Ooooo

&

842 SPEC. VANIT. ECCLESIASTÆ CAP. XII.  
& lubens quidem : & siquid hoc Opere probè saneque  
dictum est , diuinæ bonitati cum gratiarum actione  
consecro ; & ne quis alicunde fortassis humanæ laudis  
appetitus obrepat , hanc omnem , vti par est , in Deum  
refundo , & cum hac doxologiâ finio :

REGI SÆCVLORVM  
IMMORTALI ET INVISIBILI  
SOLI DEO  
HONOR ET GLORIA.



INDEX